



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. Res data in pignus, si varietur, an remaneat pignus, & quomodo reddendum.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

vel hypothecari possunt. Lege Valg. in opus. c. 1. de pign. re. Azor. 3. p. 1. 7. de pign. c. 5. & 6. Mol. d. 529. Delugo d. 32. de Inst. a. n. 26. alioque. Et Bonacina quidem. lib. 3. de contr. q. 10. p. 1. concedit posse te pignus, quod ab alio accepisti, in pignus dare (intelligo semper, praescindendo ab aliqua iusta explicita, vel tacita conventionione) quia potes alteri cedere ius, quod tu habes in pignore. S. d. advertet, id non esse, nisi pro quantitate, quae tibi debetur, & pro tempore, quo durat tuum ius, nam ideo, si dominus pignoris tibi debitum solvat, cessare debet hac nova oppignoratio.

§. III. Fructus pignoris cuius sint? Remissio

1. **H**is cognitis, quaerimus, si forte à meo debitore obtinui in pignus rem fructiferam, cuius erunt eius fructus? Respondet, Debitore, quia is semper remanet dominus pignoris, ut superius dictum est fusc. in tr. de mutuo, & usura. cap. 6. §. 1.

§. IV. Res data in pignus propriè dictum, si varietur an remaneat pignus, & quomodo reddendum?

1. **S**i res oppignorata fructifera, v.g. praedium, contingat variari, remanetne eodem modo obligata pro creditore, sicut antea? Idem etiam potest venire in re non fructifera, &c.

2. Respondet, cum hac distinctione: Potest res variari, vel in peius, vel in melius: Si in peius, quia, v.g. vinea destruitur, domus corrumpitur, sylva caeditur, remanebit oppignoratum id, quod saltem de substantia supererit, nempe solum, seu fundus, ut etiam, quia ligna sunt pars sylvae, remanebunt etiam & ipsa oppignorata. Si tamen ex dictis lignis fiat aliquod artefactum, v.g. Navis, non amplius oppignorata erunt, quia videntur multum mutata per illam novam efformationem, ita disponente lege, l. si convenerit 2. §. Si quis, ff. de Pignoratitia, Alioquin.

3. Dixi, Saltem de substantia, nam, si supererit solum aliquid de qualitate, non remanebit pignus, unde remanentibus lignis è Navi oppignorata, vel corio ex oppignorato bove, inclinatur Molin. c. 533. sine, non remanent ligna, & corium subiecta pignori.

4. Sed cur modò ligna sylvae remanserunt oppignorata, non verò haec ligna Navis?

Respondet: Ratio fortasse est quia ibi ligna sunt partes immutatae respectu sylvae, unde rectè dicuntur esse de substantia tui pignoris, quod erat sylva. At hic ligna ex Navi destructa sunt partes valde mutatae respectu Navis; & ideo vocantur qualitates Navis, cuius substantia tota consistit in artificio. Unde, sicuti modò à citata lege (Si convenerit) propter novam efformationem, seu compositionem Navis, deobligata fuerunt ligna sylvae oppignoratae ab onere pignoris; ita nunc propter diffinitionem, seu destructionem Navis, ligna ab onere pignoris pari modo deobligantur.

5. Si verò in melius res oppignorata varietur, quia praedium, v.g. fuit à possessore melioratum, plantando ibi, v.g. vineam, domus amplior fuit effecta, &c. remanebit etiam ipsum augmentum pignori subiectum, quia accessorium sequitur principale.

6. Sed quid fiet deinde, quando ego debitor solvam, quod debeo, & volo, ut reddatur mihi dictum praedium, seu dicta domus, danda mihi est sic meliorata, necne?

Respondet: Vel primò, haec melioramenta, utique utilia, de quibus nunc loquimur, sūt facta ab ipso Creditore, vel secundò, facta sunt à Tertiò, ad quem fortè praedium illud pervenit.

7. Si fuerit hoc posterius, sentit Molina, d. 533. contra Covar. Molin. sequitur Delugo d. 32. de Inst. num. 32. non teneri hunc Tertiū tradere praedium, nisi prius si-

bi solvatur, quod expendit, & quod plus valet ratione sua utilis meliorationis; Ad. Molina eidem tertio dari optionem, ut vel faciat, quod dictum est, vel solvendo illam valorem, quo praedium, antequam illud augmentum accepisset, aestimabatur, sibi praedium retineat. At Covar. sentit, cogi posse hunc Tertiū, ut reddat praedium, accipiendo pretium suarum meliorationum. Et certè haec sententia Covar. mihi probabilissima videtur, quia praedium, cum sit verum pignus in hoc casu, de quo loquimur, domini est, & illi debetur.

8. Si fuerit illud prius, hoc est, si tuum praedium datum in pignus fuerit auctum ab ipso tuo creditore, in cuius manu praedium erat, licet ipsi non detur optio praedicta; tamen non tenetur tibi reddere illud, nisi tu praeter antiquum debitum, solvas, etiam id, quod ille utiliter expendit pro melioramentis dictis eo modo, quo dictum est, supra, in tr. de Locat. c. 1. §. 1. n. 14. & 15. à meo univèrsaliter. Imò poterit, teste Molin. loc. cit. sibi tandiu retinere praedium, quamdiu ipsi resarciatur expensae utiliter factae. Ratio omnium praedictorum est, quia non est æquum, ut is, qui rem suis expensis utilem tibi fecit, defraudetur sua mercede. Deductis semper deducendis, ut semper supponi debet.

9. Sed quid, si rem auxit huiusmodi possessor, sed inutiliter? Vt, si creditor, in manu cuius fuit dictum praedium, fecisset in illo picturas, fontes, aliæque ad ornatum superfluum, & inutilem?

Respondet: De his non agit expressè hic Molina, sed ex eius doctrina, & ex Sanchez. l. 2. iustit. cap. 23. n. 139. & ex his, quæ ego ibid. loc. cit. num. 13. & lib. 8. in Decal. tr. 3. cap. 3. §. 5. à num. 13. dixi, colligi potest, haec non debere solvi ab eo, cuius est pignus, sibi enim imputet, quod in aliena re, quam iam sciebat esse alienam, inutiliter sive parum, sive multum expendit. Recole necessariò citatum locum nostrum de Locatione; nam ex doctrina ibi tradita poterunt, & debebant multa huic pertinentia, vel explicari, vel addi.

§. V. In rem sibi hypothecatam quidnam iuris habeat Creditor?

1. **R**espondeo, si rem tuam, v.g. praedium, obligasti in securitatem alicuius debiti in favorem creditoris, illam tamen creditori non tradidisti, sed apud te reservasti, creditor semper habebit ius in eam rem, quæ onus hoc, & obligationem realem secum semper deferret, ut supra iterum dictum est. Hinc fit, ut ad quemcumque possessorem transierit, possit creditor debitum suum ex illa exigere, quamvis ex iure novo non possit, in Authentico de fideiussione, §. sed neque, etiam in hypotheca expressa, agere dictus creditor contra tertium possessorem, nisi praecedent exactione in bonis debitoris, & fideiussorum. Debet ergo probare creditor, rem illam fuisse debitoris tempore contracti debiti, vel postea, & fuisse comprehensam in hypotheca, factamque esse diffusionem in bonis debitoris, & fideiussorum. Quando autem tertius possessor rei hypothecatae, cogitur solvere, debet ei dictus creditor cedere ius, quod habebat contra debitorem principalem, & fideiussor. Ita Delugo. d. 32. de Inst. num. 23. qui non notat eam doctrinam, quam nos in simili notavimus supra, cap. 1. §. 2. num. 3. quæ tamen erat omnino notanda, propter paritatem rationum, estque multum in praxi animadvertenda.

2. Illud denique nota, quod dictum est de discaffione faciendâ in bonis debitoris, non procedere, ut habet Delugo l. c. n. 34. in fundo, v.g. super quo census aliquis impositus est: hic enim, si vendatur, vel alienetur, defert ita secum onus illud, ut non debeat prius à venditore census peti redditus, sed immediate ab ipso tertio possessore. Ratio est, quia illa, ut modò num. 7. dixi, non est propriè hypotheca, de qua hic agimus, sed venditio particularis dominij utilis illius fundi: at verò circa bona alia, quæ hypotheca generali obligantur pro securitate